

multò faciliùs atque expeditiùs in putredinem vergit, si in acervum congeratur, eò quod vapores intus exhalati, cùm difflari nequeant, externi calidi putrefacientis vice fungantur.

XXXIII.

*Calor iste ambiens non primariè in humidum agit*, aliás id absūmeret, & tunc humidum non dominaretur calor; sed in calorem rei internum, eumq; intendit, & paulatim ad exteriora unā cùm humido caloris yehiculo vocat.

XXXIV.

*Præsens etiam calor*, si internum foras provocare debet, sit mediocris necesse est. Nimis enim remissus nunquam evocat. Intensior interiores partes torrefacit, ut calor intus manens fortius siccum, cùm humido contineat, uti liquet in carnibus fumo induratis. Intensissimus combustioni ansam præbet.

XXXV.

*In Putredine ergo eâ utitur methodo natura:* 1. calor ambientis evocat calorem mixti naturalem, & sic ipsum corrumpere dicitur. 2. Corruptionem proprii caloris sequitur segregatio humidi & siccii, quæ tamen adhuc est sine formæ Essentialis perditione, sed nuda tantum ad putredinem existit præparatio. 3. Tanta intercedit dissolutio humidi, ut forma servatu impossibilis in momento destruatur, & tunc separata manent humidum & siccum, quia non amplius aucto unionis naturalis vinculo conjugantur. 4. Humidum illud à calore consumitur, h. e. transmutatur in halitum, & cum calore evaporat, ut ita nil nisi terreum relinquatur.

XXXVI.

*Partibus, quæ ad absolutam & integrum concurrunt definitionem, prædeclaratis, nunc ὁμοντῆς θεσδ τῶν ὄρων διαφέροντα τῆς διποδείξεως ex humaniorum artium Phosphoro Arist. adscribimus: σὴψις ἐπὶ Φθορῇ τῆς οἰκοίας, καὶ καὶ Φύσι θερμότητος ἐν ψυρῷ ἐκάστῳ διπὸ τῆς αἴλλοτείας θερμότητος, τῆς ἐν τῷ περιέχοντι.*

XXXVII.

*Jam in Putredinis species, si quæ dantur, inquirendum. Has cum Zabarellâ & aliis ignoramus. Una enim est Putredinis natura: ob variam tamen mistorū constitutionem aliqualis est diversitas, cuius gratiâ alia magis, aut minùs, alia penes totum, alia penes partem.*